

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis


Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CXXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

Acta sunt hec anno Domi M. CC. LV. 11j. Nonas Octobris. & ne periculum fidei formidetur. vel alicuius calumpnia post successionem temporis predicta valeant infirmari, & sigilli mei munimine & Prepositi in Bacgenanc perpetuum & validum capiant munimentum. & robur valide firmitatis.



CXXX.

CONCAMBIUM BONORUM INTER ABBATIAM ALBÆ
DOMINORUM ET SCULTETUM VILLÆ
MALSCH.

A N N O M C C L V I.

Ex autographo tabularii Bada-Durlacensis.

Frater W. dictus Abbas & conuentus in Alba Monasterio Cysterficiensis ordinis. Patere uolumus tam posteris quam presentibus, quod commutauimus agrum factum ex vinea in villa *Malsch* situm in uia que ducit ad puteum, quem omni libertate possedimus Steimaro ejusdem uille tunc Sculteto, pro tribus iugeribus agrorum & dimidio, quorum unum est inter grangiam nostram & proximam ripam, unum adiacet quatuor nostris iugeribus ultra proximam ripam, unum uero & dimidium jacet apud arborem Azzelonis. Et hoc consentientibus Godefride dicto Simelar, tunc aduocato illustris domini *R. marchionis de Baden* & eiusdem uniuersitate, ita uidelicet quod prefatus Steimarus & post ipsum sui heredes inpendant domino Marchioni vel cuicumque domino

domino uille omnem seruitutem de agro sibi dato que deberet inpendi sibi ab agris prenomiatis nobis adscriptis, ut eos possideamus in perpetuum libera facultate. vt autem hec commutatio sine qualibet calumpnia stabilis permaneat, sigillo vniuersitatis in *Etheningin* cum testibus subscriptis eam à sepe dicto Steimaro nobis petiuimus roborari. Sunt uero testes in *Etheningin* Otto sacerdos, Gotefridus Scultetus iurati, Ludewicus, iuuenis Volkmarus Hartungus, Gozzo senex. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. Quinquagesimo Sexto.

||
(L. S.)

CXXXI.

COMPOSITIO PER ARBITROS INTER ABBATIAM
TENNEBACENSEM ET ADVOCATOS VICI
WEISSWEIL.

A N N O M C C L V I.

Ex Archivo Tennebacensi.

Notum sit omnibus presens scriptum intuentibus, tam presentibus quam futuris, quod *W. nobilis de Gerolsegge* in remedium anime sue suorumque contulit monasterio in *Tennibach* Curiam dictam *Harderen* sitam in banno *Wiscewil* cum omnibus suis appendicijs & omni jure libere possidendam. insuper dictum monasterium quedam bona sita in eodem banno, ab advocatis ejusdem Ville de *Wiscewil*, videlicet *Domi-*
Cod. Dipl. F f